





220

1758 13  
10<sup>e</sup>

DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
CONDITIONE POTESTATIVA  
INSTITVTIONI LIBERORVM  
ADIECTA

P. 221.

QVAM  
SVB PRAESIDIO  
VIRI CONSVLTISSIMI  
ERNESTI CHRIST. WESTPHAL  
IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS CELEBERRIMI

D. XIII. OCTOBR. MDCCLVIII.

H. L. Q. C.

PVBlice DEFENDET

IOANNES IVSTVS GEORGIVS MAYER  
STASIVRTO-MAGDEBVRGICVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE  
LITTERIS HENDELIANIS.



DISSERTATIO IURIDICA  
DE  
CONDITIONE POTESTATIS  
INSTITUTIONI LIBERORVM  
ADICTA

AVGVSTI  
SVB PRAESIDIO  
VIRI CONSTITVTI  
ERNESTI CHRISTI WESTPHAL

IURIS VIRIVSQUE DOCTORIS CELEBRISSIMI  
D. JOHANNIS GEORGI MAYER  
AVGVSTI  
ATQVE MAGISTRI



MDCCCXXXIII  
HALLAE MAGDEBVRGICAE  
LITTERIS HEREDITARIIS



A  
SON ALTESSE SERENISSIME  
MONSEIGNEUR LE PRINCE  
**F E R D I N A N D,**  
DUC DE BRUNSVIC  
ET  
DE LVNEBOURG,  
LIEUTENANT-GENERAL DE SA MAJESTÉ  
LE ROI DE PRUSSE,  
COMMANDEUR DES ARMÉES ALLIÉES  
PRUSSIENNES,  
CHEF D'UN REGIMENT D'INFANTERIE,  
GOUVERNEUR DE MAGDEBOURG,  
CHEVALIER DE L'ORDRE DE L'AIGLE NOIRE  
ETC. ETC. ETC.

SON ALTESSE SERENISSIME  
MONSEIGNEUR LE PRINCE  
FERDINAND,  
DUC DE BRUNSWIC  
ET  
DE L'ANNEBOURG  
LIEUTENANT-GENERAL DE SA MAJESTÉ  
LE ROI DE PRUSSE,  
COMMANDÉUR DES ARMÉES ALLIÉES  
PRUSSIENNES,  
CHEF D'UN RÉGIMENT D'INFANTERIE,  
GOUVERNEUR DE MAGDEBOURG,  
CHEVALIER DE L'ORDRE DE L'ÉTOILE NOIRE  
ETC. ETC. ETC.

MONSEIGNEUR  
PRINCE TRÈS GRACIEUX



VOTRE ALTESSE SERE-  
NISSIME daigne agréer  
très gracieusement la har-  
dieffe, avec la quelle j'ose mettre SON

X 3

AUGU-

AUGUSTE NOM devant ce foible essai  
de ma capacité academique, que je LUI  
devouë très humblement, en le mettant  
très respectueusement à SES pieds. Ce  
n'est, il est vrai, qu'une petite marque  
de l'homage, que je dois à une infinité  
de graces, dont il a plus à VOTRE AL-  
TESSE SERENISSIME, de me com-  
bler jusqu'à present. Ma reconnoissance  
ne s'en borneroit pas à un si foible te-  
moignage, que celui-ci, si j'étois en état,  
d'en donner de plus éclatans & de plus  
réels. Dans cette impuissance j'ose  
néanmoins LA supplier très humble-  
ment, de continuer de m'accorder SA  
HAUTE PROTECTION & les efets  
de



de SA grace au milieu de SES victoires  
& à la tête des armées victorieuses, qui  
combattent glorieusement sous SES au-  
spices. De mon coté j'implorerai sans  
cesse le ciel, de combler de ses benedi-  
ctions & de toutes sortes de prospéri-  
tés la MAISON SERENISSIME DE  
BRUNSVIC - WOLFENBUTTEL  
& d'éterniser le lustre de la gloire des  
HAUTS EXPLOITS DE VOTRE  
ALTESSE SERENISSIME, faits  
pour le bien de nôtre chère patrie.  
Dieu veuille ajouter une longue suite  
d'années à celles de SA vie précieuse,  
où VOTRE ALTESSE SERENIS-  
SIME a déjà fait tant de merveils. Je  
suis

fuis avec la soumission la plus respec-  
tueuse

**MONSEIGNEUR,**  
**DE VOTRE ALTESSE SERENISSIME**


de Halle  
ce 12 Octobre  
1758.

le plus humble, le plus dévoué  
& le plus obéissant valet

JEAN JUSTE GEORGE MAYER.



DISSERTATIO  
DE  
CONDITIONE POTESTATIVA  
IN TESTAMENTO LIBERIS  
ADIECTA.



PROOEMIUM

§. I.

RATIO INSTITVTI.



Abundat ius Romanum subtili Auctorum  
sapientia & vario legum ingenio, qui-  
bus inest comitior omnino, sed tricus  
impedita, & calamistris, quasi quibus-  
dam intorta veritas. Admirationis  
merentur haec plurimum, laudis vero  
admodum nihil. Possemus hic venerandos Latii ma-  
nes pro more ad certamen prouocare, tum conuiciis  
& rixa animum pascere, denique vero, mutis his ac  
surdis hostibus debellatis, triumphum nobis decerne-  
re.

A

re.

re. Sed nolumus, cum de rebus in commune profuturis differendum sit, data opera otio abuti. Inde linquimus haec stadia illis, quibus ad dimicandum bellicosior animus & ad declamandum validiores sunt laerti. Inter plurimas iuris Romani syrtes Successionum doctrina absque dubio primo loco ponenda est. Ad hanc itaque illustrandam operam qui conferunt, ii sane laterem non lauant. Inter hos equidem, si quid in me ingenii, libenter nomen profiterer. Vnde ratio argumenti. Mens dissertationis ea est, vt planum reddatur, an hodie id, quod in iure Romano de conditione potestatiua proditum est, ad legitimam liberorum spectet, an vero reliquae hereditatis paternae parti applicandum sit, aut denique an plane ab usu recesserit? Quod postremum nostrum calculum meruit. Scilicet sunt, qui legitimam liberis adhuc sub conditione eiusmodi relinqui posse contendunt; sunt, qui hoc negant, at vero in reliquis bonis non nisi conditionem potestatiuam admittunt; sunt tandem, qui in legitima omnem conditionem proscribunt, in reliquis vero penes testatorem liberum de hereditate discernendi arbitrium relinquunt. Licet vltimorum sententia vera omnino sit, tamen aduersariorum argumentis nondum plane satisfactum esse censeo. Hic itaque adhuc perficiendus est labor.

## §. II.

DE CONDITIONE POTESTATIUA LIBERIS ADIECTA  
EX PRINCIPIIS IURIS NATURALIS.

Secundum ius naturae, quoties liberis a parentibus debetur portio legitima, in hac sub nulla, ne potestata-

testatiua quidem conditione institui possunt, sed haec, in deferenda hereditate adiecta, in legitima parte pro non adiecta habenda, in reliquis implenda est, alias successione commodum ad sequentem testatoris propinquum transferendum. Si vero legitima liberis nulla debita est, parentibus sub quacunque conditione eos ad successionem vocare integrum est, eaque non eueniente, itidem proximus ab instituto propinquus heres fit. Etenim & ex iure naturae quidquam de legitima praecipere a), nemini amplius inauditum videbitur, cum nemo facile hodie negauerit, liberorum alendorum officio morte parentum fines non poni, sicque liberis ius esse, ex paternis facultatibus tantum adhuc post obitum petendi, quanto ipsis ad vitae necessitates, donec adolescant, opus est. Quod itaque cum liberis adimi nequeat, & sub conditione data successio iuxta exheredationem sit, patet, nullo modo ius liberorum hic esse circumscribendum. In reliquis vero praeter legitimam ratio habenda conditionis, quia conditio legitimae adiecta toti testamento vitium non infert, sed potius reliqua, cum conditionem patiantur, cum conditione intelligenda sunt. Si vero non existat conditio, non potest instituto obuenire hereditas, quia iam tacite exheredatus est, vnde necessario ei adiudicanda, qui institutum propinquitate proxime excipit, quippe cui nunc testator sua relinquere voluisse credendus est. Ex iisdem principiis & reliqua paragraphi deducenda.

a) Vid. Illustr. GEORGII HENRICI AYRERI Dissert. de Iure parent. legit. liber. bona mente grau. §. 2.

## §. III.

DE EADEM SECUNDVM IVS ROMANVM GENERATIM.

In explicando iure Romano tria in primis temporum momenta sollicitè erunt separanda; *Primum* a LL. XII. Tabb. orditur & ad originem legitimæ procurrit, *alterum* a legitimæ natalibus ad Iustiniani tempora porrigitur, *tertium* denique continet ipsum Imperatoris æuvm.

## §. IV.

PRIMA PERIODVS ET QVIDEM RESPECTV PATRIS.

In priori temporis parte distingendi erunt pater & mater. *Patris* heredes quidem ab intestato erant liberi, tam naturales, nondum emancipati ac legitimi, quam adoptiui, non vero tenebatur pater iis legitimæ nomine quidquam relinquere. Hinc quoque eos sub quacunque conditione, non potestatiua solum, heredes scribere poterat. E filiabus nata progenies ab omni legitimæ successionis spe aliena habita est. Liberi illegitimi vero ne patris quidem erant successores ab intestato, vnde de eorum institutione otiose disquireretur. Quo casu autem liberi parentum erant successores legitimi, eos sub conditione heredes nominare non licebat, nisi constituto simul alio herede, qui conditione cessante bona caperet, alias non sequens ordine agnatus, sed ipse sub conditione institutus filius adhuc succedebat. Liberos naturales legitimos ante emancipationem fuisse patris heredes ab intestato ex LL. XII. Tabb. in confesto est vbi in hanc sententiam cauetur: SI INTESTATO MORITVR, CVI SVVS HERES NEC ESCIT, AGNATVS PROXIMVS

XIMVS FAMILIAM HABETO. Per heredem suum intelligitur is, qui in patria potestate est *a*). Hinc nil aliud tabulis sancitur, quam illud: patris sine testamento decedentis proximos heredes esse liberos in potestate eius constitutos, tumque sequi agnatos. Emancipati per venditionem, qua patri fiduciario mancipabantur, velut in seruitutem deducti *b*), necessario omnibus agnationis iuribus exuti, ad nouam quamdam familiam, cuius quasi noui duces nouaque capita erant filii emancipati, traducti *c*), in patris sui familia peregrini & extranei *d*), indeque ab omni successione legitima patris exclusi sunt. E filiae nuptiis nati auo materno succedere non valebant, cum nec ad suos nec ad agnatos referri possent. (*v. infra.*) Illegitimi non erant sui, cum LL. XII. Tabb. patriam potestatem in *liberos* tantum IVSTIS EX NVPTIIS *quæstos tribuerent*. Iidem nec erant agnati, cum in illegitimis adoptata esset regula: *Partus sequitur ventrem e*). Haec regula, ex Stoicorum principiis profecta, secundum quos foetus erat pars ventris seu viscerum, ut habet PLVTARCHVS, a Ictis, ut Stoica plurima, lubricissime ciuitate donata est *f*); quo id efficiebatur, ut, quoniam proles ventris esset accessoria, suum principale sequeretur *g*). Qua de causa, cum ipsa mater non esset agnata mariti: nec prolem patri adnasci potuisse, rationi consentaneum erat. Adoptiones & adrogationes iam libera republica Romanis maxime in deliciis fuisse, patet ex GELLIO, VALERIO MAXIMO, DIONE CASSIO, CICERONE &c. *h*). Communis earum effectus antiquitus fuit potestas patria, unde adoptati omnes effecti liberi sui, non poterant

non futurae patris fictitii successioni legum beneficio imminere. Verum hi omnes de quibus iam dictum est, tanti non erant, ut eos pater, quodcumque ita videretur, successione emungere non potuerit. *Pater familias uti legauerat de re sua*, (quorsum & liberi sui) *ita ius erat*. Instituendi, praetereundi, exheredandi parenti ius & auctoritas *i*). Ast autem tum condebantur testamenta per aes & libram *k*), nec poterat ius succedendi publicum *l*) immutari, nisi adhibito familiae emtore, in quem per mancipationem hereditas transferebatur. Hoc inde omisso, inutilia & cassa erant omnia, ideoque idem erat, ac si testamentum nullum conditum esset, ut adeo hinc ei, quod supra traditum, veritas constet, scilicet conditione non eueniente, sub conditione scriptum adhuc tamen successisse.

Nolim tamen existimes, adeo immites fuisse Romanos, ut liberis, ad maturiorem aetatem nondum proeectis, e bonis paternis necessaria vitae subsidia denegare sustinuerint. Licet infinita patris potestas, & ad hanc usque immanitatem paruisse videri posset, eo quod per LL. XII. Tab. ius vitae & necis ei indultum fuerit in liberos: tamen hoc non de licentia & impunitate occidendi pro libidine intelligendum esse, iam dudum explorata res est *m*). Sane cum alendi officium ex aequitate deduceretur *n*), facile sibi quisque persuadere poterat, tum, quum forsitan pater moribundus alimentorum in testamento fuerat immemor aut parcus, huic rei officio iudicis fuisse prouisum, ut tamen testamenti efficaciae nihil inde detraheretur.

a) l. 33. §. 1. ff. de test. mil.

b) l. 3. §. 1. ff. de capite men. V. I. H. BOEHMERI Dissert. de statu liber. sui iur. fact. per sep. & nupt. c. 1. §. 5.

c) l. 17.



*in testamento liberis adiecta.*

- e) l. 17. ff. de B. P. contra tabb.  
d) §. 3. l. de her. qual. & diff.  
e) l. 19. ff. de statu hom.  
f) l. 7. §. 1. ff. de ventre insp.  
g) l. 26. §. 1. ff. de A. R. D.  
h) V. HEINECCIUS Synt. Antiq. Rom. Tit. de Adopt.  
i) LIVIUS l. l. c. 34.  
k) §. 2. l. de test. ord. VLPiani Fragm. 20. 9. & 2.  
l) l. 3. ff. qui testam. facere poss.  
m) B. KNORRII Dissert. de Alim. a matre lib. praest. c. 1. §. 4.  
n) l. 5. §. 2. ff. de agnos. & alend. lib.

§. V.

EADEM RATIONE MATRIS.

*Mater*, nec legitima, nec illegitima, his temporibus habuit liberos ab intestato successores, unde de ista quoad conditionem potestatiuam hoc loco dici nihil potest. Iungebantur plerumque coniuges cum conventionis in manum ritu vsque ad aeuum fere ab V. C. sextum a), quo tempore pristina seueritas in maiorem matrimoniorum, solo consensu ineundorum, libertatem degenerauit, & antiquus coniugiorum mos penitus obsoleuit. Siue itaque in manum mariti transibat vxor, siue secus. Ibi erat in patria mariti potestate b) mancipioque, inde nihil ei poterat esse proprium, sed omnia, ab ipsa parte, marito cedebant c). Ex quo per se intelligitur, viuente marito, ex ea natos ipsi heredes existere non potuisse, cum non esset, quod in eos transmitteretur. Post fata vero mariti sibi iterum redita femina poterat omnino rem facere sibi que acquirere.

rere. Quam ob rem successio hic quoque aliqua libero-  
rum deprehenditur; sed non tamquam liberorum, sed  
quasi fratrum *d*), quippe quam personam non poterant  
non induere liberi, cum mater mariti sui, liberorum  
parentis, veluti filia existimaretur. Sed hac succes-  
sione supersedemus: non enim hic fratrum, sed libe-  
rorum tantum, rationem habebimus. *Hic* vxor vel  
morte simul veri patris, aut emancipatione, ab eius po-  
testate liberata erat, vel ei adhuc suberat *e*). Ultimo  
casu iterum ipsa rerum ratio liberos omni successio-  
ne praecludebat, cum matris propriae facultates nul-  
lae, sed omnia aui materni essent. Priori autem non  
deerat quidem, quod liberis obueniret; nihilominus  
tamen ignota fuit liberorum hereditatis petitio usque  
ad Imp. ANTONINI & COMMODI tempora, quibus  
demum Senatus statuit, *ut sine in manum conventio-  
ne matrum legitimae hereditates ad filios pertinerent* *f*).  
Huius rei ea manifesto ratio est, quod liberi hoc ca-  
su nec sui, nec agnati, matris censendi. Non sui, quia  
eius potestati non subiecti fuerant, utpote per LL.  
XII. Tabb. soli patri concessae; non agnati, quia agna-  
ti non sunt, nisi qui sub vnus patrisfamilias potesta-  
te quondam fuerunt *g*), quod matri cum liberis hic  
successionis maternae fuere exortes, donec iis SCro  
Orphitiano prospiceretur *h*).

a) CHRIST. VLR. GRYPEN Tr. de vxore Rom. 1. H. ROEMER  
Dissert. de Statu don. int. vir. & vx. ant. & hod. §. 18.

b) GRYPEN c. l. c. 2. §. 2. & 3.

c) VLPiani Fragm. 19. §. 18. 19. CICERO in Top. 4. L. 79. ff. de  
acq. vel omitt. hered.

d) COL-

- a) COLLAT. LL. MOS. ET ROM. 16. §. 3. 6.  
e) Non enim tollebant hae nuptiae patris potestatem, unde & dos a patre data filiae peculii profectitii naturam retinuit, ut matrimonio soluto ad patrem, ut dominum, rediret l. 4. C. sol. matrim.  
f) ULPIANI Fragm. 26. 7. §. vn. I. de SCto Orphit.  
g) L. 195. §. 2. ff. de V. S.  
h) §. 3. I. de SCto Orphit. vid. VLRICI HVBERI Praelect. ad citat. Instit. Unde iis opus erat subsidio Praetorum l. 2. §. 8. ff. unde cognati.

§. VI.

ALTERA PERIODVS. ORIGO LEGITIMAE SVB  
CONSTANTINO MAGNO.

Venio nunc ad alterum temporis interuallum, quod ab inuecta legitima incipit. Scilicet a V. C. 714. iussa est lex Falcidia, qua cautum, ut, quicumque heres fuerit institutus, quartam partem totius hereditatis habeat. Quodsi testator hereditatem suam legatis eximierit, quartam de imminutione legatorum heres retineat, constante nihilominus testamento a). Hac lege lata, nihil naturalius erat, quam idem commodum, quod cuius heredi legibus datum erat, liberis quoque aliisque legitimis successoribus non denegari. Sed in liberis aliisque quibusdam haec quarta Falcidia legitimae nomen nata est b). Hoc tempore legitima peculiare habuit nihil, sed portio dicenda est, liberis &c. institutis, vel, post D. PIVM, etiam ab intestato successuris c), aut salua relinquenda, aut, si deesset, ab ipsis ex legatis &c. refecanda. Nullum adhuc portionis, in qua liberi non instituti, aut intestato heredes non relictis, exheredandi, vel instituendi fuissent, vestigium

stigium. Indigna fere prisca legitima tam splendido nomine. Vnde est quod, cum alii ad Falcidiae aetatem legitimae nostrae initia reuocent *d*), non immerito titubent alii & ignorantiam profiteri malint *e*). Nihil adhuc in iure ciuili praesidii contra improbam parentum duritiem. Tandem CONSTANTINVS *Imp.* inofficiosi querelam, remedium olim Praetorium, peculiari Lege confirmatam ad ciuilem actionem euexit, vt, ceu ipse loquitur, *sine auxilio Praetoris* petitionis aditus referetur *f*). Hic vera legitimae incunabula deprehendere mihi videor; ex eo enim tempore ipso iure ciuili inualidum esse oportuit testamentum, in quo illis, qui Praetoris olim suppetiis indigebant, quorsum & liberi, nil relictum, nec successio legitima expresse adempta fuerat. Scilicet liberam iam republica inualuerat mos, ea oppugnandi testamenta in quibus sanguini nullus habitus honos, sed proximi agnati impio silentio praeteriti fuerant *g*), (interdum etiam olim si exheredati erant, vt e laudato VALERII loco colligere licet), idque non forsitan legi cuiusdam Gliciae, vt CUIACI vs auctor fuit *h*), sed Praetorum ingenio debebatur; vnde querela inofficiosi tum bonorum possessionis species *i*). Obuiam ei ibatur, ante Legem Falcidiam, si aliquid factim proximis e familia relinqueretur, postea, si quarta bonorum iis tributa, aut si expresse exhereditati essent *k*), vt serio patrem ac sana mente egisse appareret *l*). Possit videri hic esse, quod legitimam voces; sed cum iure ciuili nihil adhuc cuiquam deberetur, vereor eam ad hanc aetatem remittere *m*).

*a*), GAIL *Instit. Tit. de Leg. Falc.*

*b*) Vnde

- b) Unde legitimam vocat Falcidiam IVSTINIANVS l. 31. C. de inoff. test. de eadem, vt Falcidia loquuntur VLPIANVS l. 8 §. 9. ff. cod. & PAVLLVS Recept. Sentent. 4. Tit. 5. §. 5.
- c) l. 18. pr. ff. de Lege Falc.
- d) V. HEINECCIUS Synt. Ant. Rom. L. 2. Tit. 17. §. 7.
- e) V. IACOBI CUIACII Obs. 2, 21. MYBERVS Praecl. ad Instit. L. 2. Tit. 13. §. 9.
- f) L. 1. C. Theod. de inoff. test.
- g) Etenim VALERIUS MAXIMVS l. 7. c. 7. 5. iam tradit C. Calpurnium Pisōnem (qui a. V. C. 682. Praeturam gessit) Terentio cuidam, a filio suo exheredato & QVERELAM mouenti, HONORVM POSSESSIONEM dedisse.
- h) ll. cc.
- i) l. 6. §. 2. l. 7. l. 8. pr. ff. de inoff. testam.
- k) l. 30. ff. de lib. & postb.
- l) l. 2. l. 5. ff. de inoff. test.
- m) Nam iure ciuili eum, contra quem querela mouetur, manere heredem, sicque institutionem inuvalidam non esse, patet ex l. 32. ff. de Hered. Petit. vt adeo improprie testamentum inofficiosum inutile dicat CAIUS c. l. 30. ff. de lib. & postb.

§. VII.

REFVTATIO EORVM QUI NE SVB CONSTANTINO QUIDEM QVERELAM INOFFICIOSI IN REMEDIVM IVRIS CIVILIS CONVERSVM ESSE STATVUNT.

Sunt subtiliores nonnulli, qui non omnem bonorum professionis agnitionem, seu non omne centumvirale iudicium in exilium missum esse, defendunt, sed rem ad solam illam, quam circumferunt, litis ordinandae causa possessionem, reducendam esse, comminiscuntur. Ab eorum partibus quoque Magnum GOTHOFREDVM in Comment. ad l. c. esse, reperio. Videtur

detur res digna, quae paullo accuratius examini submittatur. Bonorum possessionem, litis ordinandae causa memorat *ULPIANVS l. 8. pr. ff. de inoff. Testam.* ubi ita: *Papinianus scribit, si filius post agnitam LITIS ORDINANDAE GRATIA BONORVM POSSESSIONEM decesserit, finitam esse inofficiosi querelam: quae non patri, sed nomine dabatur filii.* Quaeritur, quid haec sibi velit litis ordinandae gratia bonorum possessio? A filio agnita esse nequit, quia, si qua fuisset eiusmodi possessio, quae praeparasset veram bonorum possessionem, filii de hac adhibenda voluntas, praeparatione iam facta, nemini obscura fuisset. Iam in *l. 6. & 7. eod.* ad heredes transire dicitur querela, ubi eiusmodi praeparatio iam viuo filio cognoscitur. Inde fieri non potuisset, ut ad patrem deuoluta non esset, iam affecta, sed nondum perfecta, querela. Hinc verba: *post agnitam litis ordinandae gratia bonorum possessionem*, ad heredem institutum referenda. Quenam vero eorum sententia? Explicatum iam eo. Scilicet nihil potest hic demonstrari aliud, quam notissimum illud interdictum *Quorum bonorum*. Cum enim heres institutus sibi longam licem ab indignabundo filio parari cerneret; antequam his se procellis committeret, nihil ei consultius, quam ex testamento Praetorem implorare, omni numero absolutas tabulas ostendere, secundum eas bonorum possessionem agnoscere, & interdictum adipiscendae possessionis efflagitare. Quo facto de eo saltim prospexerat sibi, quod ante pedes erat. Mens itaque verborum haec est: *Filius, si, viuo eo & nihil contradicente, scriptus heres per interdictum Quorum bonorum hereditatis possessionem*

venit

nem nactus est, querelam inofficiosi, si decesserit, patri non relinquit. Quid nunc hac sententia planius? Scilicet non praeparata erat querela, atque adeo ne proposita quidem fuisse videbatur filio, qui haec omnia aequo animo tulerat; non poterat itaque ad patrem pertinere. Duplex moueri poterit circa hanc explanationem difficultas. Primo quidem praepostere agere accusabimur, quod secundum tabulas possessionem dare nobis sumamus ante, quam filius contra tabulas venisset, cum tamen in casibus, ubi & contra & secundum tabulas peti potuisset, illam semper praecessisse constet. Verum hoc ideo nos sollicitos non habet, quoniam is ordo seruandus omnino erat tum, si utraque peteretur. Sed si alter eorum, qui ambire praetorem poterant, auxilium eius sibi deposceret, alter vero somno veluti oppressus, ut Diis propitiis videretur, res agi gerique sineret; Praetorem huic veterum quasi excussisse, & inuitum beneficio adfecisse, nemo facile sibi persuadabit. Altera difficultas nobis non orietur, nisi ab iis, qui cum vulgo sapiant. Nimirum bona omnia precabuntur, ubi interdictum Quorum bonorum scripto heredi tribui audient, quippe quod ab heredibus legitimis tantum usurpari, acceperunt, cum in subselliis adhuc sederent. Horum vero stomachus non difficulter poterit deliniri, si verba Edicti Praetorii, sicut in Titulo Digestorum: *Quorum bonorum* habentur, inspexerint, nullumque ibi inter bonorum possessores discrimen deprehenderint. Tunc enim ob commodius tantum IUSTINIANI l. ult. de Edicto Diui Hadr. toll. interdictum, illud hodie saltem ab institutis heredibus consulto negligi edocentur.

buntur. V. AVGVSTINI LEYSERI *Meditat. ad Pand. Spec. 500. Meditat. 5. & 6.* Iam si illud expeditum est; conferenda ea, quae iam tradita sunt, cum his, quae edicunt SEVERVS & ANTONINVS *Imp. l. 1. C. Quor. bonor.* Sic enim hi: *Quamvis bonorum possessionem vt praeteritus agnovisti, tamen interdicto, Quorum bonorum non aliter possessor constitui poteris, quam si te defuncti filium & ad hereditatem vel bonorum possessionem admissum probaueris.* Praecedere igitur ubique debet bonorum possessionis, seu iuris succedendi Praetorii acquisitio, antequam litis ordinandae causa possessio possit obtineri. Si hoc sit, quid censendum est de iis, qui verbis CONSTANTINI M.: *sine auxilio Praetoris petitionis* aditum referari, eum inferunt sensum, vt solum interdictum foras eiectum sit. Praeterquam enim, quod ita in deterius mutatur eorum, qui querela inofficiosi vti volunt, conditio, eo, quod possessorii remedii commodis, quod ante iis datum fuerat, priuantur, cum tamen melius iis consilere voluerit IMPERATOR: hac admissa sententia, sensu carent verba. Si enim remanet bonorum possessio, non sine praetoris auxilio petitionis aditus referatur, sique aditus referendus sine auxilio Praetoris id de interdicto Quorum bonorum dictum esse nequit, quippe quod aditum non referat, cum bonorum possessio prius agnosci debeat, tumque demum interdicto locus sit. Vid. IOANNIS SCHILTERI *Exerc. 14. §. 27.*

## §. VIII.

QUI LIBERI SUCCESSORES LEGITIMI ET HEREDES  
NECESSARIJ FVERINT HAC AETATE?

Succes-



Successio posterorum legitima sub haec tempora ratione patris mansit eadem, quae fuerat antea. Matris vero intestatae facultates liberis tam legitimis quam spuris delatae sunt (*v. supra*). Omnibus his successoribus legitimis paulatim adiecta quoque legitima a), in quibus speciatim filiae ac nepotes abnepotesque masculi generis non speciali indiguere exheredatione, & generatim tantum inter caeteros nominandi, filiae vero plane praeteritae non infregere testamenti vires, sed accrevere tantum heredibus institutis, ut tradit *VLPPIANVS b)*, & *IMPERATOR c)*, & explicat *FRANCISCVS HOTTOMANNVS d)*. Matrem haud meliori loco fuisse, quam quo erat pater, collige e *PLINIO e)*, & *VALERIO MAXIMO f)*.

a) De filiis v. l. 30. ff. de lib. & posth. de posthumis l. 20. ff. eod. de adoptiuis §. 4. l. de exher. lib.

b) Frag. Tit. 22. §. 17.

c) pr. l. de Exhered. Liber.

d) In Comm. ad Inst. ad c. pr.

e) L. 5. Ep. 1.

f) L. 7. c. 7. 4. Conf. L. 5. pr. ff. de inoff. test.

### §. IX.

QUI LIBERI PRAETERIRI POSSVNT, HI ETIAM SVE

QUACVNQVE CONDITIOE POSSVNT

INSTITVI.

Quoties non obest legitima, quae scripto heredi aut relinquenda, aut adimenda discretis verbis sicque, quoties nuncupatus successor etiam non institui seu praeteriri potuisset, toties quaecunque conditio institutioni potest adfui. Ita enim hi omnes, qui legitimi

nam

nam iure non exigunt, eoque sensu extranei vocantur, sub quacunque conditione hereditatem cernunt a). Sic quoque ii legitimi heredes, qui non expressè exheredes scribendi, vt filiae ac nepotes pronepotisque, cuiusvis conditionis subeunt onus b). Contra ea, cum filiusfamilias praeteriri in legitima non possit c); statim id sancitum legimus, ne sub quacunque conditione heres institueretur d), id, quod locupletissimi argumento, quamcunque conditionem adponendi facultatem a praeteriendi arbitrio pependisse.

a) l. 5. ff. de cond. inst. §. 9. l. de her. inst.

b) l. 4. l. 6. §. 1. ff. de her. inst.

c) l. 30. ff. de lib. & postb.

d) l. ult. ff. de cond. inst. l. 4. pr. l. 6. l. 86. ff. de her. inst.

## §. X.

LIBERI EXTRA LEGITIMAM POSSVNT SVB QUACVNQVE CONDITIONE INSTITVI.

Pone, filiumfamilias in quarta hereditatis parte a patre heredem nominatum, in reliquis vero alium, extraneum hominem, e latere huic esse; id largieris, opinor, filiumfamilias in reliquis silentio esse praeteritum. Iam tolerant leges huius sententiae testamentum, cum quarta sufficere dicatur ad excludendam querelam a); hinc in confesso est, filiumfamilias in re paterna extra legitimam praeteriri posse. Quae de causa eundem sub quacunque etiam conditione in ea hereditatis parte, quae legitimam excedit, institui posse, indubium est. Sic fert quoque ipsa rei natura. Cum enim iure nouo, introducta legitima, in hac tantum circumscriptum sit patris arbitrium, in reliquis

liquis pristini temporis libertatem seruata esse oportet: quod enim mutatum non est, stare quid prohiberet b?)

a) l. 8. §. 8. ff. de inoff. test.

b) l. 27. C. de testam.

§. XI.

IN LEGITIMA CONDITIO TANTVM POTESTATIVA  
RECTE ADIICITVR.

Cum in legitima liberi omitti ac praeteriri nequeant, nulla omnino a testatore in hac lex adiici posse deberet. Nam quaecunque demum fuerit illa conditio, semper tamen, condicione deficiente, instituti a praeteritis nihil distant. Atvero iniquum iudicant veteres, plane nil tribui postremis testatoris iusibus, nec iis quidem, quae expletu essent facillima, defungi velle filium. Vnde opinati sunt, conditio ni, quae a filio impleri posset, si legitimae esset iuncta, ex asse satisfaciendum; quod si secus fieret, id, quod relictum, non ipsi, filio sed iuncto heredi, aut substituto, esse deferendum. Pertinent huc l. ult. ff. de Cond. Inst. l. 4. pr. de Her. Inst. nec non l. 6. pret. 86. eod. Lex prima a PAPINIANO est & sic habet:

*Si filius sub conditione heres erit, & nepotes ex eo substituuntur; cum non sufficit sub qualibet conditione filium heredem institui; sed ita demum testamentum ratum est, si conditio fuit in filii potestate.*

In eandem sententiam in altera lege pronunciat

VLPIANVS:

*Suus quoque heres sub conditione heres potest institui. Sed excipiendus est filius, quia non sub omni*

C

condi-

conditione institui potest; & quidem sub ea conditione, quae est in potestate ipsius, potest. De hoc enim inter omnes constat. Sed virum ita demum institutio effectum habeat, si paruerit conditioni, an & si non paruerit & decessit? Iulianus putat filium sub eiusmodi conditione institutum, etiamsi conditioni non paruerit, summotum esse. Et ideo si coheredem habeat ita institutus, non debere eum expectare, donec pareat filius; cum, etsi patrem intestatum faceret non parendo conditioni, procul dubio expectare deberet. Quae sententia probabilis mihi videtur, ut sub ea conditione institutus, quae in arbitrio eius sit patrem intestatum non faciat.

Eadem magis illustrat IDEM c. l. 6. pr. Pro-  
pior ad Iuliani aetatem MAECIANVS c. l. 86.  
pari ratione institutionem, sub conditione,  
quae potestatis sit, factam, pro valida habet.

## §. XII.

CONCILIATUR L. 18. D. DE BON. POSS. CON-  
TRA TABE.

Circa has leges, quibus id iterum iterumque  
dictatur, inutiliter conditionem, quae in filii pote-  
state non sit, huic obrudi, dubii nonnihil mouet  
HERMOGENIANVS a), qui, sub conditione, inquit,  
heres institutus, a contra tabulas bonorum possessione  
excluditur. Quid hoc nouae rei? Nonne querela  
inofficiosi erat contra tabulas bonorum possessio?  
Quomodo haec ICTORUM lis componenda est? Prae-  
sens adhuc est medicina. Scilicet rei ex ipsa nostra  
lege

lege 4. de her. inst. potest lux accendi. Si filius sub condicione, a casu, vel incerto alio euentu, suspensa, heres scriptus, non, subito querela mota, testamentum oppugnari poterat, sed expectandum fuit, an conditio existeret, an secus? Si prius, nulla erat testamentum conuellendi facultas, sed erat patris voluntati reuerentia. Si posterius, tum demum adibatur Praetor, iactabantur querimoniae, & vt adflictis praefidio esset, implorabatur aequus Iudex. Id non difficile ex verbis *VLPIANI* cogi potest, vbi, cum, *etsi*, inquit, *patrem intestatum faceret non parendo conditioni, procul dubio expectare deberet.* Conditio, cui non parendo filius patrem intestatum facit, haud dubie talis est, qualem excutit *PAVLLVS b)*, si nimirum filius heres institutus, vbi se filium probauerit. In hac cum iactetur quodammodo alea, quia ancipitis exitus est eiusmodi probatio, testamentum nullius momenti esse dicitur, indeque ei si non pareatur, filius reddit patrem intestatum. Verum non subito, sed videndum annon possit ei adhuc pareri. Compellendus filius, vt periculum faciat, & quae in rem sunt congerat; potest & coheres rei intercedere, & id, quod exigitur, probare, cui experimento si respondeat exitus, illibatum ac integrum seruatur testamentum. Si inanis infumatur opera, Praetor contundit vt iniquum. Sic & in aliis dubii euentus conditionibus ratio subducenda, vt semper, si non existeret conditio, tum demum testamento pararetur ruina *c)*. Vnde tunc saltem, si conditioni, ne existeret, aut natura oberat, aut lex, statim ab initio robur detractum *d)*, quia ab initio

statim certum erat, eam nullo tempore euenire, aut posse, aut debere.

- a) l. 18. ff. de B. P. contra tabb.  
 b) l. 83. ff. de C. & D.  
 c) l. 15. ff. de Cond. Inst.  
 d) vnde & MAECIANVS l. 86. de her. inst. expectantis, inquit, extrinsecus postuae conditionis euentum.

§. XIII.

ORIGO CONDITIONIS POTESTATIVAE IN LEGITIMA  
 ADPONENDAE A IULIANO. HVIVS A PAPINIANO  
 DISSENSVS.

Ex antecedentibus patet, id recens architectatos non fuisse ICTOS, vt valide conditio quaecunque, sicque etiam potestatiua, testamento in filio instituendo interfereretur. Inde de hoc, vt re iam olim peruagata, ac in vulgus nota, loquitur VLPIANVS, dum, *id inter omnes constare*, affirmat. Verum tum subiicit quaestionem, hoc sane modo, vt iam noua quaedam auditum iri, non obscure innuere videatur. Quare hic non ad communem omnium persuasione[m] prouocat, sed IULIANI auctoritatem, quam probat. Hoc itaque demum recens proditum, vt, filius, etiamsi postea conditioni non pareatur, nihilominus submotus sit, sicque testamentum adhuc valeat. Eiusque IULIANVS sine dubio auctor est, cum antiquiora huius sententiae vestigia non deprehendamus, & IULIANVM multa alia noua sensisse non ignotum sit. Sed in hoc IULIANO cum PAPINIANO non conuenit, quod ille, *coheredem non expectare debere, donec pareat filius*, i. e. aut statim obediendum esse, aut statim

tim lucro carendum, indefinite statuat, hic contra, distinguenda esse conditionum genera autumet a). Ita enim hic: *aut adhuc supremo vitae tempore satisfieri potest defuncti mandatis, aut nequit. Si illud; non excludendus filius usque ad mortem. Si hoc; iam viuens reddit testatorem intestatum, i. e. statim abigitur, nisi subito de voluntate patris implenda cogitet.*

a) l. 28. ff. de cond. & dem.

§. XIV.

PLENIUS DEMONSTRATUR LEGES DE CONDITIONE  
POTESTATIVA STATVENTES AD SOLAM LEGITI-  
MAM REFERENDAS ESSE.

Quicquid hae leges de conditione, quae in filii facultate est, disputant, id de bonis paternis, quae legitimam superant, non intelligendum esse, per superiora satis cuique persuasum esse confido. Nil itaque restat, quam ut ad legitimam tantum id omne spectare oporteat. Secundum MAECIANVM c. l. hic ab ea regula exceptio est, quod filius sit expresse exheredandus. Iam vero praeter legitimam si quid adsit, in eo non est expresse exheredandus filius, sed potest praetermitti. Ergo hic a regula exceptio non est. Vnde non potest non de legitima sermo esse. Si de aliis quibusdam bonis, quam iis, quae legitimam conficiunt, audiendi essent ICI: ex vna saltem legum nostrarum pateret, filio, de quo disputatur, iam de legitima fuisse prouisum, eoque facto & reliquam hereditatis partem sub certa lege ei fuisse adiectam; sed huius nullum vlla ex parte vestigium. Peccatur hic a nonnullis duplici modo. Primo id  
C 3 pra-

praepostere fit, quod ex his legibus ius nouissimum petatur, cum tamen illae non nisi in Iurisprudencia Anteiustiniana commemorari debeant. Deinde de bonis, legitimam egressis, conscriptas censent, magno sane errore, & conficto in rem filiorum quodam privilegio, ob quod in his bonis extraneo quouis meliori & commodiori loco esse iubeantur. Non agitur hic filii ius peculiare, sed patris potius singularis fauor, cuius voluntas vt imperfecta labefactanda foret ob adscriptam conditionem, nisi Ictorum recentioris aevi aequis sententiis priscus rigor temperatus fuisset. Vix tamen hac parte sibi satis cauit Egregius 10. GOTTL. HEINECCIUS. Is enim in *Elem. Iur. Ciu.* §. 548. indefinite, & ceu ius aliquod Iustinianeam, id adserit: *conditionem heredi suo adscribi non posse, nisi potestatiuam*, idque quomodo intelligendum sit illustrat in den *Academischen Reden über die Elem. Iur. Ciu.* ad hunc §. vbi ita: Sodann ist auch diese Regel zu verstehen von demjenigen, welches der Vater einem heredi suo über die portionem legitimam verläset. Idem confirmatur in eius *DIGESTIS Tit. de Condit. Instit.* Ei adstipulatur V. C. I. IVST. RAVENSBERG. in *Opusc. de Condition. conuent. & ult. vol. c. 2. §. 12. & 12.* Rectius de Legitima leges explicat G. A. STRVY in *Synt. Iur. ciu. Ex. 33. §. 47.* sed iterum in eo humani quid patitur, quod his in legibus ius nouissimum inuenire sibi videatur.

## §. XV.

PERIODVS TERTIA. QVI LIBERI HIC SVCCESORES  
LEGITIMI ET NECESSARIJ?

IVSTI.



IVSTINIANVS denique omni inter liberos legitimos agnatos cognatosue, vt & suos vel emancipatos, masculi femineique generis, discrimini dicam scripsit, vt adeo aequalis omnium esset quaecunque successio *a*). Illegitimis (naturalibus, sed quibus hodie aequiparantur quicumque alii, ex iustis nuptiis non suscepti, ob rationes in vulgus notas) aliquam, sed varie circumscriptam, dedit hereditatis petitionem, aeternum modo, vbi nullum confectum a defuncto testamentum exstiterit, vt inde nec vlla iis legitima tributa dici possit *b*).

*a*) Nou. 118. c. 4.

*b*) Nou. 89. c. 12. §. 4.

### §. XVI.

#### DE CONDITIONE POTESTATIVA HAC AETATE.

Iure Iustiniano in legitima nullam, ne potestativam quidem, conditionem adponere licet, sed ea non adiectae instar habita est. In reliquis vero plane non adstrictum linitibus patris arbitrium, vt quancunque conditionem adiungendi, ipsi sit aequa potestas. Adstipulatur SCHILTERVS *a*), BRUNNEMANNVS *b*), BOEHMERVS, SCHAVMBURGIVS *c*) aliique complures. Probatio erit facillima. Quod de legitima dictum, patet ex diserta IVSTINIANI lege *d*), vbi, si conditionibus quibusdam, inquit, vel dilatorionibus, aut aliqua dispositione, moram, vel modum, vel aliud gravamen, introducente, eorum iura, qui ad inofficiosi querelam vocabantur, imminuta esse videantur: ipsa conditio, vel dilatio, vel alia dispositio, moram, vel quodcunque onus, introducens tollatur, & ita res proce-

procedat, quasi nihil eorum testamento additum esset. Quisnam, his lectis, vel momento temporis dubitaret, omnem hic proscribi conditionem, ut ne potestatiuae quidem venia detur? Sed hic de legitima tantum verba fieri, extra hanc autem omnia parenti esse integra, in promptu est ex alio loco e), ubi dicitur, id, quod post legitimam restat, tunc restitui debere, quando testator voluit, nec non f), licere parenti, reliquum (praeter legitimam) habere & largiri, sicut voluerit, filiis ipsis aut cuilibet extraneorum.

a) Exerc. 38. §. 99.

b) In Comm. ad Pand. ad l. 4. ff. de Her. Inst.

c) Uterque in Comp. Dig. cf. quoque STRYKII V. M. L. 28. Tit. 7. §. 3.

d) l. 32. C. de inoff. test.

e) l. 36. §. 1. cod.

f) Nou. 18. c. 1.

### §. XVII.

#### IVS GERMANICVM ET HODIERNVM.

Germanos solita in reliquis aequitas etiam hoc in argumento, ut instituta docent, non deseruit. Parentes si, nullis rebus dispositis, fato fungerentur, liberi poterantur omnibus, quae fors, studium ac virtus illis tribuerat. Vnde TAGITVS a): *Heredes successoresque sui cuique liberi.* Si inceseret quemquam animus, liberis omissis, aut exheredibus scriptis, a sanguine ad extraneos opes transferre: in rebus, quae moueri poterant, recens acquisitis, ad suppellestem & domesticae vitae usum pertinentibus, id ei quidem licitum erat. Sic enim GLOSSA b): *Alle sährende Habe*

Habe giebt der Mann wol ohne Laub der Erben in allen  
 Städten und an allen Orten, und läset und verleiset  
 sein Gut. In auitis vero, immobilibus & familiae con-  
 seruandae destinatis secus statuendum. Ita enim SPE-  
 CVLATOR SAXO c): Ohne der Erben Laub und ohne  
 Gericht mag kein Mann sein eigen Guth, noch sein Leuth  
 vergebē. Neque tamen, si iusta de causa filio irasci  
 poterat parens, huius auctoritati datum id non esse  
 credendum est, vt filio degeneri futura successione in-  
 terdiceret. Licet vero filiae in auitis non succederent,  
 donec masculi generis superesset posteritas, vt ait LEX  
 RIPVARIA e): *Dum virilis sexus exstiterit, femina in  
 hereditatem auaticam non succedat*, non tamen exinde  
 negligebantur plane filiae, sed aut solis iis relinquenda  
 erant, quae praeter fundum aderant, vt cauet LEX  
 ANGLIOR. & WERINOR. f). *Ad filiam pecunia &  
 mancipia; terra vero ad proximum paternae generatio-  
 nis consanguineum pertineat*, aut de alimentis ipsis pro-  
 spiciebant filii, donec nuberent. Quae cum ita sint,  
 facile patet, quae res, quibusque liberis, sub conditione  
 relinqui potuerint, quae secus. Cum iura peregrina  
 terris Germanicis infusa sint, ita conuersa est rerum  
 facies, vt inter Illustres ac Nobiles ratione auitorum  
 retenta sint antiqui iuris principia, ratione recens par-  
 torum vero, sicut inter ignobiles generatim, res e iu-  
 re ciuili diiudicetur g).

- a) De M. G. c. 20.    b) Ad IVS FEVD. SAX. art. 26. & ad  
 WEICHBILD art. 27.    c) L. 1. Art. 52.    d) V. HEI-  
 NECCI Elem. Iur. Germ. Tom. 1. L. 2. §. 203.    e) Tit. 56.  
 §. 4. cf. LEX SALICA Tit. 62. §. 1. §. LEX SAX. Tit. 7. §. 1.  
 f) Tit. 6. §. 1.    g) Ill. de SELCHOW Inst. Iur. Germ.  
 L. 4. C. 3. S. 3.



VIRO  
 PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO  
 DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.



uae cepit Musas, imbelles alias ac pauidum  
 genus, tam insolens audacia, ut TV, VIR  
 PRAENOBILISSIME, eas per medias acies  
 iter facere iubeas? Abscessime iis priscus  
 ille ab armis ac caedibus horror? Sane ita videtur ex ali-  
 quo inde tempore, quo Maximos Principes in eodem cam-  
 po, qui labores Eorum & vigiliis vidit, sudores hausit, ad  
 certamina triumphosque obstupuit, haud raro ad litteras  
 diuertere, & non imparia bellicis laudibus excelsa ingenia  
 prodere miramur. Inter Quos ad MAGNUM NOMEN  
 SERENISSIMI DVCIS, INVSITATI temporum nostror-  
 um HEROIS, CVIVS ad pedes hocce opusculum sub-  
 mittitur, quis est, quem non deuotissima subeat mentis  
 veneratio. Per oras, quas Rhenus alluit, & Visurgis am-  
 bis, victorias stragesque circumtulit; virtute & factis ad  
 omnem posteritatem famam extendit; REGVM ac Popu-  
 lorum certatim applaudentium praemia preuocauit; nunc,  
 hostium terror, maiori quotidie gloriae, nouis per horas  
 lauribus, imminet. Exaequant vero rerum gestarum ma-  
 gnitudinem sublimior indoles, animi Maiestas, & in omni-  
 bus pacis ac otii studiis, TANTO PRINCIPE dignis,  
 mirabilis excellentia. Itē igitur amoenae sorores! video  
 vos lactari, quod eo profectio pareatur, vbi iam pridem  
 perpetuas sedes habere soletis. Si in hostes. forsan inci-  
 deri-

Meritis, viae impedimento futuros; ostendite fronti impres-  
 sum, infestis etiam VENERABILE ac TVTELARE NO-  
 MEN, QVOD, instar commeatus formulae, liberum vobis  
 ad EGREGIVM PRINCIPEM aditum praestabit. Dent  
 hoc fata SVMMORVM REGVM votis, dent communibus  
 patriae precibus, dent melioris causae commodo, vt quam  
 diutissime adhuc seruetur aevi nostri IMMORTALE DE-  
 CVS, & quam plurimis adhuc splendidis factis NOMEN ad  
 astra ferat SERENISSIMVS IMPERATOR! TEBI vero,  
 VIR PRAENOBILISSIME, gratulor, TANTI PRINCIPIS  
 gratia TE posse gloriari. Laudo praeclarum, illam olim  
 promerendi, studium, in quo quantum hucusque profeceris,  
 hoc edito specimine commonstrare voluisti. Perge eam,  
 quam feliciter satis ingressus es, viam eadem industria pro-  
 sequi, & non dubito, quin cum laude quondam officio ac  
 sine perfuncturus sis. Caeterum vale mihi que faue. Da-  
 bam Halae d. XI. Octobr. MDCCLVIII.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
 DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

FRIDERICVS HENRICVS DEIBRVCK,  
 MAGDEVRGENSIS, IVRVVM STVDIOSVS, OPPONENS.

**E**X animo tibi gratulor specimen diligentiae academiae, quae  
 ab initio inde, ad hunc vsque diem haud medioeris sane fuit,  
 edituro. Non equidem constirui, his dictis laudes tibi canere,  
 licet eas praes multis aliis merearis, cum; quia haud ignoro, meas  
 laudes virtuti tuae parum adiecturas esse splendoris; tum, quia  
 nullus dubito quin per ipsam dissertationis tuae publicam defen-  
 sionem omnium optime ostensus sis, quantum profeceris; quan-  
 ta laus industriae tuae debeat. Quae, quum ita sint; gratu-  
 lox



lor mihi quidem, & **TIBI** ago gratias, quam possum maximas, quod mihi aduersarii, quem simulabo, non agam, locum obtuleris, eo-que ipso **TVAE** erga me benevolentiae dederis testimonium; non vero possum, quin metuam, ne infeliciter hostem sustineam, quum tam dissertationis **TVAE** praestantia, quam **TVAE** eruditio & mea imbecillitas victoriam **TIBI** reddent facillimam. Quod reliquum est, ex animo opto, vt **DEVS IMMORTALIS TE** per longam annorum seriem in patriae vtilitatem, & omnium, qui bene **TIBI** cupiunt, laetitiam atque solatium, saluum sospitemque conseruet. Faxit **DEVS**, vt studiis **TVIS** academicis feliciter imponas finem, usque plane absolutis, patriam carissimam resalutes, ibique fructus laborum **TVORVM** percipias yberrimos. Ad me quod attinget, vnicam hance petitionem adicere liceat, vt mei semper beneuolam serues memoriam, & vel absentem amicitia **TVAE** profequaris; Vale! resque tuas prospere age. Vale! Dab. Halae d. X. Octobris MDCCLVIII.

Mein sanftes Saitenspiel erkönt von treuen Freuden,  
 Wobon mein ganzer Busen bebt:  
 Dein Beifal ist mein Ziel; denn mag mich Clio meiden,  
 Die mächtig Flaccus Spiel belebt.  
 Nicht Schmeichelei, damit ich Dein Verdienst erhöbe,  
 Entflammet mich mit falscher Glur;  
 Mein Lied ist, wie mein Herz, voll Zärtlichkeit und Liebe  
 Und fließt gelinde wie mein Blut.  
 Die Musen winden Dir mit still zufried'nem Blicke  
 Um Deine Stirn den Lorbeer Kranz,  
 Und ich seh' froh Dein Glük (denn wahrer Ruhm ist Glükke)  
 Und der verdienten Ere Glanz.  
 Sei glücklich, liebster Freund! genieße Deine Jugend,  
 In ruhiger Zufriedenheit,  
 Sei glücklich in Dir selbst, durch Wissenschaft und Tugend,  
 Dem Vaterland, zum Dienst, bereit.

Alb. Gottfr. Frieder. Beyer,  
 aus Halberstadt, d. N. B. Opponens.



ULB Halle

3

002 187 531



sb









DISSERTATIO IVRIDICA  
DE

CONDITIONE POTESTATIVA  
INSTITVTIONI LIBERORVM  
ADIECTA

QVAM  
SVB PRAESIDIO  
VIRI CONSVLTISSIMI  
ERNESTI CHRIST. WESTPHAL

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS CELEBERRIMI

D. XIII. OCTOBR. MDCCLVIII.

H. L. Q. C.  
PVBLICE DEFENDET

IOANNES IVSTVS GEORGIVS MAYER  
STASFVRTO-MAGDEBVRGICVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE  
LITTERIS HENDELIANIS.

